



**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

De Sanctorum Festiuitatibus Anni totius, & aliis solemnitatibus - Opvs
Novvum, Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue] Scriptoribus
plenißimum, cum occurentium fidei controuersiam tractatione Editio
Qvinta. Nvnc Demvm Integre Svppletæ, Concionibvs Per Octauam Vener.
Sacramenti ...

Besse, Pierre de
Coloniae Agrippinae, 1629

In Festo Visitationis Beatæ Mariæ, Virginis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56262](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56262)

deprecati, cum nostra negotia perspecta habeat. Longius enim interuallum est inter cognitiones humanas & intima cordis penetralia, quam inter cœlum ac terram. Ac deinde notate quid Paulus dicat, *Ex parte hic cognoscimus, ex parte prophetamus, cum autem uenerit, quod perfectum est, id est quidquid hic scimus & cognoscimus non nisi media & imperfecta scientia est; at in cœlo scientia perfecta futura est.* Dicere uult igitur Paulus, Beatos omnia in cœlo uidere, quin & illa quæ hic in terra fiunt; finem uero faciam si miraculum illud celebre hic obiter attulero.

In Actibus Apostolorum scriptum est. Petrum & Joannem ascendisse in templum, & ad portam speciosam claudum eleemosynam ab iisdem petiisse, ac Petrum ei dixisse: *Aurum & argentum non habeo, sed respice in nos; quod autem habeo, hoc tibi do; surge & ambula.* Quotquot hic sumus auditores, claudi sumus ad portam templi, id est, Ecclesiæ militantis quæ triumphantis porta & introitus est, iacentes. Fingamus igitur Joannis loco Paulum, & Petrum cum illo hodie templum ascendere, eleemosynam ab illis postulemus, & misericordiam imploremus supplices.

Omnes enim claudicamus, si enim ab uno latere incedamus recti, altero sumus claudi, si prælatus hic à latere doctrinæ recte incedat, à latere prædicationis claudicat, eo quod prædicare nolit, si diues hoc quantum ad prudentiam perfectus sit, in misericordia claudicat.

Stipem igitur ab illis postulemus, clamemus post illos supplices & in terram prostrati, ipsi vicissim dicent, *respice in nos; oculos in nos conuertite, circum undique nos intueamini, aurum & argentum non habemus, hæc enim contempsimus, Ecce reliquimus omnia.* Quod autem habemus, hoc vobis damus: quam modo habemus gloriam, vobis offerimus, vobis optamus, & precibus nostris impetramus. Surgite ergo & ambulate. Surgite à vitis ad poenitentiam, ad contritionem, perque virtutes & bona opera incedite.

O gloriosi Apostoli, totius vniuersi luminis.

Essai tom. 3. De Sanctis.

na, Euangelij buccinæ, religionis axes, Ecclesiæ fulcra, principes terræ, hæcenus aurum & argentum, honores & diuitias à vobis postulauimus velut pueri, in orationibus nostris luteas & spateas domos, ut ait Scriptura, ædificauimus. At cum vos contemplantur, & in vos respicimus, omnia hæc meram vanitatem esse agnoscimus. Petimus igitur eam, quam habetis, id est, quæ frui minigloriam, non quod vestrum sit eam elargigiti, nam *gratiam gloriam dabit Dominus, sed intercessionibus vestris nobis eam impetrare, precibusque vestris efficere, ut postquam hic in terra fidem, quam nos edocuiſtis, integram & inuiolatam seruauerimus, tandem aliquando in cœlo mercedem, & remunerationem nanciscamur, beatitudinem scilicet sempiternam & gloriam sine fine mansuram, ad quam nos Pater, & Filius, & Spiritus sanctus deducere dignentur, Amen.*

IN FESTO VISITATIONIS BEATÆ MARIÆ, Virginis.

Partitio.

1. *De supereminente Deipara humilitate.*
2. *De Visitatione, quando & ubi contigerit.*
3. *De causis eiusdem.*
4. *De itinere laborioso per montana, & quid per hoc mystice.*
5. *De prælatu eiusdem Visitationis effectis.*

Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione, Luc. 1.

FIGURA.

Arcæ testamenti, quod trimestri durat spatium in domo Obededom diuertisset, tantam eidem felicitatem attulit, ut benedictionibus omnigenis exinde repletissima fuerit. Designabat hoc iam tum, quod suo post tempore in magni Sacerdotis Zachariæ domo ad gloriolam Virginis Mariæ aduentum accessumque erat euenturum. Hodie siquidem videmus, veram illam fœderis

Bbb pacisq;

Ad. 3.

Omnes hæc in vita claudicamus.

1. Cor. 13.

2. Reg. 6.

pacisque arcam, dum cognatam Elisabetham, iam Messiae præcurfore imprægnatam, adit, eiusque in familia aliquanto hæret tempore, omnigenam illi benedictionem causam, prosperitate, felicitate, & lata sorte cumulare. Elisabeth spiritu instigante vaticinatur, semelstris infans matris in vtero exultat, creatura Deum agnoscit, ante ætatem vitur ratione, ante debetum tempus iudicium adhibet, peccatum originale deletur, in vtero sanctificatio peragitur, gratia communicatur, aliaque sexcenta accidunt mirabilia, quæ Spiritus sancti ope inuocata, & gloriosa hac Virgine rogata, vt solito fauoris & auxilij sui fauonio cymbam hanc meam dirigat, recensito: quare supplices omnes illam cum Archangelo Gabriele salutemus, dicamusq; vna nines

Ave MARIA.

Inter illustres templi Salomonici miracula non postremum, & fortasse primum locum obtinet Arca illa fœderis aurea, eaque non sublimis euecta, nec eminenti aliquo magnifico collocata loco, sed humi & in pavimento sita. Hinc & *scabellum pedum Dei*, & hypopodium eiusdem fuit nuncupata. Primus eam hoc dixit nomine in libris Paralipomenon rex Salomon: *Cogitavi, et edificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis, & scabellum pedum Domini Dei nostri.*

Hoc nempe à Patre suo didicerat. David namque, cui primo domus huius fabrica à Deo & inspirata & præcepta fuit, prophetico etiam spiritu ac reuelatione cœlesti didicit, quid in eodem esset templo collocandum, eoque eius futura supellex & ornatus, & imprimis arcam hanc in ipsum inferendam, quam exinde pedum diuinæ maiestatis scabellum nuncupauit, eamque proinde ab omnibus adorari posse & debere agnouit, dicens: *Adorate scabellum pedum eius.* Scio hoc ab Allegoriarum, Anagogarum, sensus mystici, aliorumq; tioporum confectatoribus, tum de sacra Jesu Christi humanitate, tum de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento exponi; quæ duo reuera sancta sunt, & summa sanctaque adoratione digna: Sed po-

tissima SS. Patrum pars, literalem sensum secuti, de arca testamenti ipsum explicant.

Post duos reges hos magnos, magnus Propheta Jeremias, tertius, hoc scabelli nomine arcam donauit. Plangens namq; futuras Hierosolymitanorum calamitates, & mala, quæ urbi & templo impenderent, præuidebat, eiusque expilationem vastationemque deplorens cum Deo quodammodo exostulat, tantam abominationem permittente, domum suam impiorum manibus profanari sinente, templi curam quodammodo abiiciente, & scabelli pedum suorum, id est, arcæ, pene obliuiscite: *Non est, inquit, recordatus scabelli pedum suorum.* Cum ergo illustrem hanc arcam tanti fecerint Reges, ita suspexerint Propheta, tanto quoque Deus honore affecerit, vt pedum eam scabellum elegerit, vnde fieri dicam, vt velut neglecta humi stererit, & non in sublimis euecta sit, aut eminenti quodam throno locata.

Sane cum omnia mecum accuratius perpendo, cõperio per arcam hanc humi consistentem gloriosæ Virginis humilitatem denotari, de qua magnus quidam Ecclesiastes hoc locutus est modo: *Sicut nulla potest filii Dei creatura tantum ascendit in gratia dignitatem, sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis profunda quin & ulterius progressus, audacter nulli vnquam in hoc mundo puræ creaturæ concessum ait, ita creationis suæ nihilum intueri, tamque profunde in humilitatis abyssos penetrare, vnus Dei voluntati se pure integreque subiiciendo, vti Virgini huic, singulari quadam prærogatiua, cœlitus eollatum.*

Idem eandem virtutem auctor, verbis etiam dignioribus, luculentioribusque exaggerat: *Virgo, inquit, continue habebat actualem realitatem ad diuinam maiestatem, & ad suam nihilitatem, quasi diceret, Virginis contemplationes & profundæ cogitationes erant in forma continuæ relationes; habebant enim pro fundamento humilitatem, & pro terminis correlatiuis infinitam hinc maiestatis diuinæ magnitudinem, illinc vero conditionis suæ nihilitatem.*

Diony-

Thron. 2.

Arca fœderis dicta scabellum pedum Dei.

D. Bernardus ser. 51. art. 1. c. 3.

Nulla creatura ita humiliata est, sicut B. Virgo.

art. 3. c. 2.

De laudibus
Virginis lib.
3. m. 17.
Dionysius Carthusianus non minus do-
ctina, quam vita religiosa notissimus, ad
hunc conceptum quam proxime accedens,
scriptum reliquit, sanctæ huic Virgini duos
semper libros apertos præsentis fuisse, id est,
duas faces, & illuminationes interiores. Pri-
mus erat amplius ille liber Sapientiæ, in quo
quidquid Dei erat, eiusque ad excellentiam
artinebat, profunde perspicueq; contempla-
batur. Secundus erat liber scientiæ, in quo se-
ipsam, & quidquid naturæ suæ erat, quam
perfectissime spectabat. Horum autem li-
brorum lectioni intenta & affixa assidue ma-
xima quadam cum admiratione & extrema
reuerentia sæpenumero ad Deum exclama-
bat, *O Deus meus! quid tu, & quid ego?* Illu-
stria sane profundissimæ humilitatis argu-
menta.

Inexp. 1.
Cant. 6. 2. 6.
Richardus de S. Victore, magni quoq; no-
minis scriptor, hac de re agens, ex Virginis
huius sanctissimæ humilitatis profunditate
gratiæ eius magnitudinem; & vice versa è
gratia humilitatis illius elicit excellentiam.
Hæc eius sunt verba, loquentem audite:
*Quia humilitas, inquit, locus est gratiæ Dei, ad-
eo, ut tantum gratiæ capax sit aliquis, quantum
fuit humilis, sicut Virgo virtutem hanc perfecte
& totam possedit, ita totam eam gratia impleuit,
totamq; decorauit.*

Deipara
Sanctos o-
mnes hu-
mitate
sperat.
Egregie hoc in Canticorum libro adum-
bratum, mysticeq; representatum legimus in
sponsæ persona: *Qua est ista, qua ascendit per
desertum sicut virgula sumi ex aromatis myr-
ra, & thuris, & uniuersi pulueris pigmentarii?*
Certissimum autem est verba hæc de Virgi-
ne Deipara scribi & intelligi: illam vero
per desertum sumi, & sufficit ex omnigenis
odoribus, & thymiamatis composuerit cu-
ascendere, nihil aliud denotat, quam eam
ita solam in perfectionis statu ascendisse,
ut nec in hoc, nec in aliis virtutibus, quarum
varij hi odores imago sunt, parem habuerit:
nam

*Nec primam visa est similem, nec habere se-
quentem, ac præsertim in humilitate.*

Cant. 4.
Hinc idem in eodem Canticorum libro
legitur, vnguentorum sponsæ odor omnia
terrestria aromata & pulueres pigmentarios
exsuperare, *Odor vnguentorum tuorum super*

omnia aromata. Omnia porro aromata nihil
aliud, quam Sanctorum virtutes signant, quas
omnes sponsæ odor transcendit: Deipara
namq; Virgo uniuersos bono vitæ, sanctita-
tis, humilitatis, omnigenarumque virtutum
odore, quamdiu inter mortales egit, longo
intervallo superauit. Atque hoc illa modo
Dionys. Carthusianus etiam interpretatur:
Tanta, inquit, est sanctitas virtutum matris Dei, In Cant. 4.
quod cuncta mundi odora transcendit, imo
& totam perfundit Ecclesiam triumphantem.

Et sane odor, id est, excellentia virtutum
ac perfectionum nobilis huius creaturæ præ-
sanctorum aliorum virtutibus palmam & lau-
dem meretur, ac præsertim humilitatis. Ec-
quæ enim creatura tantum se humiliavit,
quantum Virgo hæc sanctissima? Angelus è
cælo legatus missus, eam gratia plenam sa-
lutat, ipsa ad hæc præconia & salutadi formu-
lam insolitam turbata, *cogitabat qualis esset i-
sta saluatio.* Gabriel illam Dei matrem ait fu-
turam, ac proinde omnibus eam creaturis
præfert; ipsa è contra mente humili mini-
mam illius clientulam se atq; ancillam fate-
tur. *Ecce ancilla Domini.*

Quam animi demissionem miratus S. Bern-
ardus ait: *Non magnum est humilem esse in ab-*
iectione, magna prorsus & rara humilitas hono-
ta. Dicere vult, mirum minime esse, si quis
pauperculus, vilis, & infimæ sortis homo se
abiciat, demisseque de se sentiat: sed rarum
quid, & prorsus admirabile, inter honores
oblato, laudes, dignitates, pompas, & opes
humilem animum præferre. Ergo ex sancti
huius viri mente summa Virginis nostræ hu-
mitas mundo paradoxon est, ac cælo ter-
ræq; miraculum. Summe siquidem honorata
humilitas est, matrem Dei appellari, ac se
non nisi ancillam facere.

Hanc ipsam virtutem cum satis pro di-
gnitate admirari idem scriptor nequeat, hoc
exclamat modo: *Qua est hæc tam sublimis hu-*
mitas, qua cedere non nouit honoribus, insole-
scere gloria nequit? mater Dei eligitur, & ancil-
lam e nominat. Inferre hinc vult, humilita-
tem tum demum ad summum perfectionis
gradum venisse, cum honores oblato pesselum-
dat, efficitque, ut quis media in gloria ac
magnitudine constitutus in suis ipsius ac con-

Nulla crea-
tura Dei-
paræ hu-
mitate
par existit.

id est

Ser. 4. super
iectione, magna prorsus & rara humilitas hono-

Rarum hu-
mitas in
honoribus.

ibique
Bernardus.

Perfectio
est humili-
tatis gloriæ
calcere.

ditionis notitiam descendat, & Virginis exemplo laudibus honoribusq; oblati non insolescat.

Cassianus.

Cassianus, vir pius & religiosus hanc Deiparae humilitatem obstupescens scribit: *In profunda se Virgo deiecit, qua inuitabatur ad alta, & à dominatu ad ancillatam animam conuertit & corpus.* Cum omnibus ergo hisce Patribus fatear necesse est, Virginis huius humilitatem maximam existisse. Sed talem etiam fuisse maxime oportuit.

Serm. 16. de verb. Dom.

Docet hoc sanctus Augustinus sermonibus de Verbis Domini, *Quanto, inquit, erit maius aedificium, tanto altius ponetur fundamentum.*

Ioan. 1.

Hoc in vsum meum conuertam axioma, & dicam, cum in Virgine construendum esset diuinum illud & summum aedificium, corpus inquam Christi (quod apud Joannem templum dicitur, *Soluite templum hoc*) fundamenta profunde admodum iaci, id est, summam eius humilitatem & profundissimam esse oportebat. cui illustre hoc templum, quod altitudine caelo terraeque æquiualeat, Spiritus sanctus inaedificaret. Et sane fuit hæc & maxima & perfectissima.

Omnia flumina, inquit Ecclesiastes, intrant in mare, & mare non redundat, ipsa tamen flumina facillime ripas ob nimios imbres transiliunt & late stagnant. Illi porro fluminibus per similes sunt, qui in honorum, dignitatum, diuitiarum, & scientiarum, abundantia, quadam passionum inordinatione, veluti quodam aquarum impetu, aut imbrium affluentia, ilico turgescunt, inflantur, insolescunt, atque inde superbiunt. Sanctissima vero Virgo mari per similes fuit: etsi enim omnia gratiarum & benedictionum flumina, qua in creaturam vllam vnuquam influxerunt, in animam illius intrarint, non propterea cor eius in vniuit, aut anima in superbiam declinauit: mansit siquidem semper intra sanctæ humilitatis limites, nihilque illam ad quoddam vanæ gloriæ aut insolentiæ eluuium vnuquam pertrahere potuit.

Deipara Virgo similis mari nunquam redundat.

Insigne profecto prodigium foret & non sine miraculo, si mare & oceanus, ingens illa abyssus, & vniuersale aquarum receptaculum, intra aliquod se flumen coactaret, &

ipsum solito semper cursu ferretur, per agros longe lateque non stagnaret, imo nec altum suum excederet, nec ripas transiliret. Idem in Virgine nostra factum vobis persuadete, Auditores; videte. ne eam vt fluuiolum quemdam Iudæam perineantem, & vastum illum omnium gratiarum oceanum, & bonorum vniuersorum pelagus, Verbum inquam Patris vni genitum, in incarnatione in ipsam subintrare. hic tamen fluuiolus nequamquam inde inflatur, nulla in eo apparet redundantia, eadem semper in ipsa viget humilitas, omnia ita quieta & tranquilla in eius anima, quasi nihil in illa noui contigisset, aut nullum nouum in ea factum esset incrementum.

Illustre humilitatis huius videre argumentum vultis, Auditores? perspicite quid hodierno legatur in Euangelio. Mox ergo vt Angelus Virginem salutauit, eamque Dei matrem esse fore pollicitus, quin & gratia plenam pronuntiavit, & in dictorum confirmationem, cognatam illius Elisabeth, iam semestri spatio vterum præter communem naturæ seriem, vt pote sterilem, gestantem in exemplum attulit, minime rata sufficere ancillam se Domini vocasse, domo ecce sua egreditur, longinquum iter suscipit, montium inuia generose transcendit, cognatamque carissimam inuisit, quæ ipsa à primariis vniuersæ Judææ matronis visitari colique æmerebatur & debebat. Euangelij autem contextus hic est, *Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione.* Hac hora matutina hæc ipsa prosequar. primo de visitatione hac tractans, deinde effecta eiusdem seriatim prosequens, & in duobus hisce membris illustria & noua humilitatis videbitis exempla.

Principio igitur indubitatum est; visitationem hanc post filij Dei eius in vtero incarnationem & conceptionem contigisse: an vero antequam dubitaret Ioseph, & Virginem in vxorem solenni nuptiarum ritu accepisset, haud constat. Theopylactus namque, Beda, S. Ambrosius & Orig. censent, Deiparam statim ab Angeli discessu surrexisse & cognatam adiisse. S. Augustinus autem in Concordia Euangel. & auctor historiae

S. Aug. lib. 1. conc. Euang.

riæ Scholast. quin & Euangelii ipse contextus, innuere videntur, Virginem primo cū festinatione Zachariæ domum trans montana sitam petiisse, cumque ibi trimestri spatio egisset, donec Elisabetha Ioannem peperisset, quarto demum mense veterum gestare Iosepho visam, atque hinc redditum eum anxium dubitasse, num in matrimonio cum eadem celebrando pergeret ulterius, eamque domum duceret familiariter cum eadem victurus; an vero parentibus rem patefaceret, consulturus num hoc in casu eam in uxorem esset accepturus.

Virgo con-
iugata erat,
antequam
visitaret co-
gnatam.

Verum doctissimus Ioannes Gerson, Vniuersitatis huius quondam Cancellarius, alterius est sententiæ, firmiterque assertit eam Iosepho ante nuptiam fuisse, quam iter hoc susciperet, & in sponsi domum ritu patrio deductam, & matrem familias extitisse. Sententiam suam egregiis validisque adstruit rationibus. Primo verisimile non esse, virgūculam illam tenellam & iuenculam tam arduum minimè suscipere iter, a Nazareth scilicet in Ierusalem montium inuia & prærupte transcurrendo; iter, inquam, propè viginti leucarum ausam fuisse, sine parentum venia, nec valedicendo vicinis ac consanguineis, & imprimis Iosepho sublime hoc incarnationis diuinæ mysterium non communicando; cum tamen, vt Tobia ait Raphael Archangelus, opera Dei reuelare, & confiteri honorificum sit.

Tob. 12.

Iosephi hu-
militas erga
Virginem.

Hanc ob causam, vt nonnulli Doctores opinati sunt, Iosephus vir iustus relinquere clanculo Virginem constituit, ne quod inde crearetur scandalum, non vero publice, eo quod, postquam hoc illi mysterium innotuit, temerarius, indignissimum se crederet, qui tam cum tam diuina Virgine familiariter ageret, cum diuo Petro quodam modo dicens: *Exi à me Domine, quia peccator, & indignus tuo contubernio sum, vel cum Centurione, Domine non sum dignus, & intres, tu tam angusta, sub tectum meum angustum; vel denique cum sancta Elisabetha, Unde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me?*

Exod. 3.

Respexit haud dubie ad ea, quæ in veteri Testamento olim acciderant. Meminerat namque, Moysen viso rubum ardere in de-

serto, non tamen comburi, minimè ausum fuisse propius accedere. Meminerat Osam, quod labantem arcam fœderis humeris fulsisset, atque profanis manibus tetigisset, subita morte ac repentina diuinam in se vindictam sensisse. Meminerat bestiam ausam mō. 2. Reg. 6. ti accedere, & vel parum tangentem iussam lapidibus obrui. Hinc sanctus hic vir, non ignarus, sanctissimam hanc Virginem verè rubum ardentem, arcam, in qua verum commorabatur manna, item montem, in quo ipse legis auctor sedem sibi fixerat esse, ad eā verebatur accedere, metuebatque ne temeritatis præsumptionisque insinularetur, si quotidiano cum ea contubernio familiariter ageret, seque penitus censebat indignum, qui cum ipsa conuersaretur. Hæc porro omnia è sancti Ioannis Chrysostomi pharetra deprompta sunt.

Exod. 19.

Altera Gersonis ratio est: Si solenni uxorem ritu Iosephus, iuxta legis patriæ, quin imo gentium propè omnium consuetudinem ac ritus nuptiales tam cetero tumescens (vt quidem ait Origenes) accepisset, ecquod per vniuersam regionem scandalum excitasset? quam triste id parentibus & Iudæis, huius mysterii ignaris, spectaculum fuisset, si iuenculam violatæ pudicitia reā duxisset? Quin etiam Virginalis hic conceptus diabolum hoc pacto minimelaturisset, imo honorē ita ipse solum violasset, quin & Virginis nostræ famæ non mediocrem infamiam maculam aspersisset. Fit ergo verisimile, matrimonio eā ante iunctam fuisse, quam iter hoc molestū aggrediretur. Verum ecquæ eius suscipiendi sunt causæ plurimæ, & sane peregregiæ.

2. Ratio Gersonis.

7 III.

Prima visitationis huius causa est, summa gloriosissima huius Virginis humilitas, quam hoc pacto manifestare voluit. Certissimum porro est, virtutem hanc semper in ea excellentem fuisse, etiam antequam in Dei eligeretur matrem, vt ipsamet teste discimus, *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Verum ex quo ipsum in utero concepit, maximum ad ipsam accessit incrementum. Ab Angelo enim honorificentissimis illustrissimisque compellata nominibus, summa cum humilitate animique demissione respondit: Ecce ancilla Domini, qua etiam matris humi-*

Causæ & rationes cur cognatam visitaret Dei para. Luc. 1.

Psal. 115.

litate Redemptor ipse glorietur. Patri aeter-
no apud Psaltem ait, *Quoniam ego seruum tuum,*
& *filius humillimae ancilla tuae*: in quantum
enim homo, Deo erat inferior, & Mariae fi-
lius, quae Angelo nuntiante Domini se ancil-
lam dicebat.

Gen. 16.

Agar Abrahæ ancilla humilis quidem &
dicto audiens fuit, quamdiu Virgo; at ubi se
concepisse & vterum gestare conspexit, su-
perbiuit, & aduersus dominam suam se ges-
sit insolentius. Testatur hoc sacra historia,
Concepisse, inquit, *se videns, despectit dominam*
suam. sed longe secus. Virgo nostra; quo
quo enim amplioribus afficitur honoribus,
eo se deiecit profundius: ac matrem factam
esse Dei se videns, adeo se non ex-
tulit sublimius, vt etiam cor, animam,
affectus, motus, cogitationes modestius ma-
gisque demiserit; & cœli terræque regina
electa, non minus apparet humilis, quam
dum puella dumtaxat erat, nondum mater.

Esth. 1.

Egregiam rei huius in Esther regina vi-
dere erat imaginem & exemplum, cuius hu-
militati & obedientiæ erga Mardocheum
hoc datur elogium, *Quidquid ille precipiebat,*
observabat Esther, & ita cuncta faciebat, vt eo
tempore scilicet erat, quo eam paruulam nutrebat.

Estheris
modestia &
humilitas.

Id est, Esther iam in reginam assumpta adeo
prompte lubenterque Mardochei iussis pa-
rebat, vt dum priuata & alumna eius in do-
mo agebat honoribus siquidem mores eius,
complexio, natura immutata non erant. Fuit
haud dubie hæc Estheris humilitas maxima,
& modestia in primis commendabilis, quod
regia cor dignitas non immutasset, nec inso-
lentior ipsam reddidisset. At longe maior
Virginis nostræ fuit: mater siquidem Dei,
atque hominum, simul & Angelorum facta
regina; adeo non reddita insolentior aut ar-
rogantior, vt è contra maiorem & humilita-
tem & modestiam & obedientiam prætulerit.

Chrysost.

Dicere solebat Chrysostomus, difficilem
castitatem esse inter delicias, & humilitatem
inter honores agrefeuari; atque inde haud-
dubie natum illud prouerbum: *Honores mu-
tant mores*. Verum hoc in Virgine nostra lo-
cum minime habuit: honor namque digni-
tas, amplitudo naturam eius non immuta-

runt, id Sapientis secuta consilium, *Quanto*
*maior es, humilia te in omnibus, & inuicies gra-
tiam coram Altissimo.* Ecclesi. 3.

Quam vero sanctissima hæc Virgo à pri-
ma omnium muliere Eva alia fuit? quam et-
iam illi contraria? quanta inter vtriusque na-
turam differentia? quantum inter sortes vtri-
usque discrimen? Eva namque ambitione,
præsumptione, superbia & arrogantia pecca-
uit; Maria vero semper sapiens, modesta, o-
mnisque expers vanitatis apparuit. Illa ob su-
perbiam fuit humiliata, ac deiecta; hæc au-
tem humilitatis suæ ergo maxime exaltata,
quod vt honorificum ac laudabile ipsa de-
prædicauit suo in Cantico dicens; *Deposuit*
potentes de sede, & exaltauit humiles: quasi ad
Eua matris omnium calamitatem, suæque
fortis commendationem alludens diceret,
Eua foemina potens & ad honores maximos
sublimata, propter arrogantiam deiecta est,
& in ordinem redacta: & ipsa paupercula, &
vilis puella, ob humilitatem meam, & sum-
mam Dei bonitatem, maxime sum eue-
cta.

Eua & Ma-
riae diffe-
rentia.

Luc. 1.

Cuius rei insigne Ezechiel Propheta em-
blema profert: in eo siquidem legere est: *Ego*
*ait Dominus, humiliavi lignum sublime, & exal-
taui lignum humile.* verba hæc & obscura
sunt, & metaphorica, sed cum re proposita
optime coincidunt. Ecquod enim lignum
altius, ecqua arbor elatior, quam prima illa
Eua? arbor inquam in paradiso terrestri con-
sita, totius vniuersi domina ac regina, virtu-
tum principium, immortalitatis fuscus, tuus
originariæ iustitiæ thronus. O ingens, opa-
ca ac vasta arbor! foemina perfectionibus
donata, gratiis locuples, benedictionibus af-
fluens, & omnigena imbuta scientia. Verum
paruam sublimemque hanc arborem ob ar-
rogantiam & fastum Deus humi prostrauit,
& è contra humilem hanc arbusculam, san-
ctam hanc Virginem, paucis cognitam, ex-
tulit & euexit, itaque sublimauit, vt fructus
quem protulit ipse sit Deus, iuxta hæc Eli-
sabethæ hodierno in Euangelio verba, *Bene-
dictus fructus ventris tui.* Hæc igitur prima
visitationis huius causa existit, iam alias
proferamus.

Primæ mu-
lieris dotes,
& præroga-
tiones.

Theophylactus, inter Græcos interpre-
tes

2.
Theophil.
Luc. 1.

tes minime postremus, hoc iter excutens, & Visitationis huius B. Virginis rationem reddens, secundam hanc ait fuisse, ut scilicet certior redderetur eorum, quæ sibi ab Angelo prædicta erant: verebatur enim, ne sibi Angelus imposuisset. Audiamus loquentem: *Abit, inquit, Virgo ad Elisabeth, & gaudens de bono cognata, & volens ut prudentissima, maiore certitudine certior reddi, num vera dixisset, qui apparuerat ei: Et ex hoc ne de suo dubitaret: prudens enim cum esset, timebat, ne forte deciperetur, & non sit incredula, sed ut diligens rem explorare volebat.*

O inio
Theophy-
lacti confu-
tata.

Bonus hic interpret nimum quantum à veritatis scopo aberravit, quem proinde ceteri Patres omnes, atque in primis venerabilis Beda in homilijs super hoc festum impugnant, *Intrat Virgo, inquit, domum Zacharie; non quasi dubia de oraculo, quod acceperat, Et alijs alijs verbis, Intrat Virgo domum Zacharie, non ut verbum Angeli mulieris attestatione probaret, &c. Quare non, ut verborum Angelicorum veritate certior per cognatam redderetur, eam adiit: certum quippe est, perfecte eam celestis illius nuntij verbis credidisse: quam proinde hoc nomine cognata laudavit, Beata quæ credidisti, quæ dicta sunt tibi à Domino, &c. Nouerat adhuc eum, qui sibi apparuerat, vere angelum fuisse, & post eius verbalico se in vtero Dei filium concepisse: Ecquæ ergo circa illa dubitandi ratio exstitit? quid veretur, ne decepta foret, cur maiorem certitudinem aut optet aut exigat? Vnde ita rem soluit S. Ambrosius, & Theophylacti sententiam eneruans, suam hisce verbis confirmat, *Non quasi incredula de oraculo, ne quasi incerta de nuntio, ne quasi dubitans de exemplo, sed quasi lata pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio ad montanaper. exit. Quæ sane verba & verissima sunt, & ad audiendum non iniucunda.**

Ambrosius
Luc. 2.

3. Ratio visitationis Virginis.
Tertiam visitationis huius causam suggerit Origenes, ipsam scilicet S. Ioannis Baptiste in vtero sanctificationem, Sanctissima namq. Virgo diuinitus inspirata cognatam Elisabetham ideo potissimum adiit, ut Ioannes filius eius à peccato originali mundaretur, & iam inde ab vtero matris spiritu S. repletur, uti Zacharia promiserat Angelus.

Causam hanc allegat, in S. Lucam scribens: *Iesus qui in vtero Virginis erat, Ioannem adhuc in ventre matris positum sanctificare festinabat.*

Hom. 7. in
Luc.

Quartam rationem assignat Ven. Beda, ut nimirum cognatæ suæ de concepta prole Messie futuro præcurfore, Deipara congratularetur. *Intrat, inquit, Virgo domum Zacharie non quasi dubia de oraculo, quod acceperat, sed ut congratularetur de dono, quod Elisabeth accepisse didicerat. Subscribit huic opinioni Simeon Metaphrastes, & ultro in eam his verbis concedit, Festinavit Virgo, ut congratularetur Elisabeth de bono nuntio nouæ conceptionis. Suffragatur & eidem Glossa interl. Baptis.*

Simeon Me-
taphr. in ora-
de S. Ioann.
Baptis.

S. Antonino in quartam partem rationes hæ minime sufficiunt, hinc quintâ producit, eamq. alijs præfert, ut nimirum Elisabethæ prægnanti auxilio foret, suumq. erga cognatam carissimam amorem, affectumq. humili obsequio ministerioq. testaretur. *Virgo, inquit, cum Elisabeth tribus mensibus stetit, ut in partu tunc futuro ei ierui. Et. Eandem quoque amplectitur Ven. Beda sententiam, hinc eodem prope sensu & verbis ait, Intrat Virgo domum Zacharie, non ut verbum Angeli mulieris attestatione probaret, sed ut mulieri proelecta ætatis virgo iuuenicula ministeriū sedula impenderet.*

5. Ratio.
4. p. tit. 15.
c. 17.

Homil. de
visi.

Omnibus hisce grauissimis S. Patrū testimonijs auditis meæ quoq. addere symbolam mens est, & sextâ rationem producere. Propterea ergo forsitan cognatam Deipara visitauit, ut doceret iuueniculas honorem senioribus & obsequiū deferre, ostenderetq. senectam nullo non tempore & loco omnib. venerabiliū fuisse. Olim quidem apud Ethnicos summus senibus deferrebat honor & cultus, ut Petrus Apianus tradat in Insula Gaditana templum fuisse, in quo senecta velut dea diuinis colebatur & adorabatur honoribus; quâ proinde vitæ magistrā, magnarū rerū custodem ac reconditoriam, voluptatum & passionum sensualium sepulturam dicebāt. Quin & olim moris fuisse prodicitur, ut fures & malefici, quo indemnes forent, ac mortis supplicium euaderent, ad seniorum genua velut ad refugia & asyla confugerent.

6. Ratio.

De senibus porro honorandis hæc in Levitico lex legitur à Deo Hebræis data: *Ho. Thren. 4. nra p. oronam senis. Et Propheta Ieremias, inter.*

Leuit. 19.
Thren. 4.

inter alias iniurias, quas Babylonios Hierosolymitanis conqueritur intulisse, cum eos captiuos & vinctos Babylonem abducerent, hanc vt grauissimam & prope intolerabilem exaggerat, quod faciem senum non erubuerint, neque miseris sint canities illorum.

Baruch 4. Propheta Baruch eandem lamentatur insolentiam, dicens: *Eduxit super illos gentem de lon; in quo gentem improbam, qui non sunt reuerenti senum.* in quo notandum inter cetera ceteros crudelitatis & barbariei actus senectutis neglectum annumerari.

Sapient. 2. In Sapientiae libro, cum mala ab impiis olim committenda recensentur, senectutis irrisio non omittitur: *Opprimamus, inquit, pauperem iustum, non parcamus viduae, nec veteri o, nec reueremur canos mulci temporis.* Quibus e verbis, vti & superioribus, colligere est, quantopere senes & canities venerabiles honorare ac venerari debeamus. Docet hoc ergo nunc suo nos exemplo coelestis hanc magistra, cum suam ipsa cognatam praenit, eamque primo visitatum abit, vtpote aetate maiorem, celsi dignitate ipsa maior.

IV. Rationes hae & insignes sunt & dignae, & Virginis ad primam omnes velut ad scopum, humiliter diffici- litatem inquam Deiparae relatae. Eas vos ipsi le ac mole- pendite, interea dum illustre hoc iter prosequor, iter inquam difficile, laboriosum, molestum, vtpote collibus ac montibus praepeditum, ita enim ait Euangelium, *Abit in montana.* Expressum hoc studio & data opera, vt & loci situs, & itineris labor legentibus constaret. Nazarethum namque, vnde profecta est Deipara, humiliori situm erat loco quam Iudae montana. Hinc etiam Redemptor territorio Galilae excedens, vt ad Iudae limites pertingeret, ascendendi verbo est usus, *Ecce ascendimus Hic: osolyman.*

Matth. 20. Hic quidem conceptus litterae inhaerens, sunt vero alii plurimi moralem mysticamque sensum includentes. Imprimis autem cum montes hos intrator, & Deiparam eosdem transcendentem, ilico hoc velut in exemplum nobis datum traho, omnem scilicet animam, quae verbum Dei semel mente concepit, sine mora altissimos virtutis ac perfe-

ctionis montes, festino amoris quodam passu transcendere. Hunc mihi conceptum suggessit Beda, dum scribit, *Typicum exemplum virgo tribuit, quod omnis anima, quae verbum Dei mente conceperit, virtutum statim celsa cacumina gressu conscendat amoris.*

Exemplo nobis erit, qui de se scribit, *Perfecit pedes meos tamquam ceruorum, & super excelsa statuens me.* Id est, ex quo Verbum Dei auribus percepi, pedes meos adeo leues & promptos in via virtutis reddidit, vt cerui (quod animal cursus velocitate & pedum pernitate praestat) pedes videat assumpsisse, atque hinc ad excelsorum me fastigia sustulit, sed aliud audire videbimini, vbi Augustini in haec verba audieritis paraphrasin. *Hoc est, inquit, perfecit Deus amorem meum ad transcendenda spinoza & umbrosa implicamenta huius saeculi, & super coelestem habitationem fixit intentionem meam.* Idipsum hodie Deipara mater compleuit, dum festinans & amore ardens abiit in montana.

In avium & alium genere tot videre est in conditione naturali, rituque victandi, hominibus ac volandi diuersas species, quor ad oculum collatae. plumatum colorumque in iisdem notamus discrimina. Aliae natura immundae sunt & degeneris animi, non nisi venibus intestisque inhiantes, ac nunquam a terra se sustolunt: sunt & aliae nobiliores & voluptatem afferre natae, semper sublimi euolantes, & animosae, vti aquila, falcones, accipitres, aliaeque ad praedam edoctae, omnes tamen eodem natae sunt elemento, & communem omnes ex aqua habent originem & productionem. Docet hoc Ecclesia, quando in hynis sacris canit:

Qui ex aquis ortum genus

Partim remittis gurgiti,

Partim leuas in aera.

Ita quoque de hominum conditione sentiendum, omnes quippe eadem nati sunt origine, & ex eadem terra figurati. Horum tamen aliqui semper per terram serpunt, non nisi vermiculis & muscis inhiant, non nisi terrena & vilia sapiunt, & sola mundana spirant. Alii vero nobiliores sunt, ac generosiores, maiorisque animi sublimi euolantes, quorum in caelis est conuersatio, vti S. Pauli

dicentis,

In Lucam.

Psal. 17.

In eundem Psal. comm.

Omnes homines eandem habent argillam in origine.

dicentis, *Nostra conuersatio in calis est*, qui quidquid hic in terra est, aspernantur, ac pelsundant, non nisi diuina sectantur, soli perfectioni student, & cum Virgine nostra abeunt & conscendunt in montana.

Gen. 19.

Hæc animorum naturarumque differentia ad oculum in persona Lothi representatur; cui Angeli Genes. 19. dicunt: *Ne stes in omni circum regione, sed in monte saluum te fac.* in quo sanctarum, nobilium, ac generosarum animarum viuenditatio exprimitur: Lothi autem ad Angelos responsum, mundanorum, imbellium, degenerum ac plebeiorum consuetudinem denotat, *Non possum, inquit, in montem ascendere, ne forte apprehendat me malum, &c.*

Salus est in montibus.

Omnis sine dubio salus in montibus est, & in vallibus discrimen; tuta sunt omnia in excelsis, in contemplatione inquam rerum cælestium, & in infimis, inque rerum terrenarum prosecutione nihil non periculis expositum. Atque hanc ob causam Rahab exploratoribus Israelitarum suadet, *In montana conscendite, ne forte occurrant vobis reuertentes.* Et ecce virgo nostra abiit in montana.

Isaie. 2.

In montana inquam magnitudinis, honoris, & perfectionis; cum de illa cecinerit Psalmista, *Fundamenta eius in montibus sanctis*; altissimos illi montes in fundamenta & altitudinis principia tribuens, cum illam Prophetæ montem in vertice montium constitutum appellari, id est, supra omnia Patriarcharum, Prophetarum, Regum, Apostolorum, Martyrum, aliarumque sanctarum creaturarum, quæ in hoc mundo velut montes fuerunt, merita, sanctitatem, & perfectiones uentam. Nemo vero negarit eam montes transcendisse, cum ad summum honoris & perfectionis, ad quam ascendere creatura poterat, gradum pertigerit, facta scilicet Dei mater, virtutum ac gratiarum oceanus, primum sanctissimæ Trinitatis opus, opus inquam adeo eximium, sublime, & dignum, ut omnes personæ diuinæ in eodem elaborando cooperatæ sint, Spiritus sanctus quidē sanctificatione sua, filius sapientia, & omnipotentia Pater. Atque hanc ob causam suam ipsa felicitatem deprædicans canit: *Quia fecit mihi magna qui potens est.*

Psal. 86.

Virgo ad summum perfectionis apicem peruenit. Math. 4.

Bessai tom. 3. de Sanctis.

Magna inquam reuera, & quibus similia Luc. 1.

ante nulli vquam præstiterat. Si quid enim Magna facta in Virgine. Magna Deus fecit, cum cælum, terram, elementa & omnem eorum ornatum & appendices creauit; longe maius quid & opus longe mirabilius creauit, cum in Virgine simul & matre, magno naturæ totius stupore & miraculo corpusculum efformauit, quo Deus essentialiter continebatur, quodque in se omnem diuinitatis plenitudinem, etiam corporaliter, complectebatur. Vnde Ecclesia velut admirans & obstupefscens, canit: *Quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.*

Omnipotens ille ac ter maximus Deus rem magnam olim, quæque omnem dein mundum in admirationem rapuit, præstitit, cum insigni sane cum prodigio Iordanis fluenta cohibuit, & aquas ad fontem retro vnde ortæ erant, redire compulit, & non tantum eas ad mare non deuoluit, sed etiam naturalem illarum cursum inhibendo, ad originem primæuam reuocauit. Quod admitans Psalmistes exclamat: *Quid est tibi mare quod fugisti? & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?* At idem ille Deus in Deipara effecit quid longe maius & admirabilius; quando nimirum ille, antiquus æternum antiquus, nostro natus est in tempore, & ab æterna illa senectute ad primum primæ cuiusdam infantis ortum rediit, an non hoc facere mirabilia? cum vero omnia hæc in Virgine contigerint, an hoc in montana abire?

Ios. 7.

Psal. 113.

Deipara ergo montes transiit, & quidem, ut D. Lucas obseruauit, cum festinatione & properas. O mirabilia! spectaculū! quomodo Virgo utrū ferens tā opere festineret? quomodo vero iter hoc audet aggredi? nulla formidat pericula, molestias non perhorrescit. Iacob Patriarcha, instante fratre E'au, ut celerius progrediretur, itaque acceleraret, hoc sese a festinatione modo excusauit: *Nosli Domine quia ues & factas habeo mecum, quas si nimis coegero festinare, morientur cuncti greges & a dia mecum.* Deipara ouicula erat sancte Allegoria iam facta, sine ulla tamen formidine & insignis, territa, laborum, periculorumque nihil metuens, iter accelerat, & cum festinatione properat.

Ccc

Tum

Cantic. 2.

Tum vero impletum illud Canticorum: *Surge, propra amica mea*. Videas namque sanctam filij Dei sponsam & fidelem amicum hodie surgere, è Nazareth proficisci, & cum festinatione in Zachariæ domum abire; adeo ut illud pij Regis vsurpare merito potuerit, qui Dei sui amore inflammatus, magna animi contentione dixit: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*.

Psal. 118.

Psalms 118. de Christo Redemptore scriptum legitur: *Exultauit ut gigas ad currendam viam*. hodie vero reapse hæc prophetia implera, cum Dei filius, iam in vtero sacratissimæ Virginis conceptus & conclusus, erigeretur & paruulus, ut magnus tamen gigas cognitus, qui nec celo, nec terra comprehendi potest, & magnitudine atque altitudine omnia transcendit, summa cum diligentia festinet, ut cum matris suæ itinere mundi redimendi iter simul decurrere incipiat.

Tres rationes cur Virgo cum festinatione abierit.

1.

S. Ambrosius de Virgin.

Cum festinatione. Sancti Patres locum hunc examinantes, & festinationem hanc demerantes, tres insignes accelerati huius itineris & festinationis virginæ rationes reddunt. Primam S. Ambrosius, Cardinalis Caietanus, Lyranus, alijque permulti, qui idcirco cum festinatione profectam Deiparam volunt, ne scilicet diu foris ageret, atque quam citissime è publico se subduceret. *Disce, Virgines, ait S. Augustinus, non demorari in plateis, non aliquos in publico mittere sermones. Maria in domo sola, festinat in publico, ut scilicet hominum vitaret conspectum & contubernium*.

2.

Gaudium causa festinationis huius.

Secunda auctorem item agnoscit Ambrosium, qui festinationem hanc à cordis vultu iubilo profectam, quo scilicet ipsum in Deum pernix ferebatur, excitatumque quasi per viam volitabat, *Festina, inquit, pro gaudio*. Atque ut cor volabat præ læticia, ita quoque pedes ad numerum quodammodo harmonicum currebant.

3.

S. Ambrosius.

Tertia rursus ab eodem Ambrosio venit à Spiritu sancti nimirum motu ac gratia niam hanc celeritatem descendisse. Audiamus loquentem, *Quo, inquit, iam plona Deo virgo, nisi cum festinatio. e ad superiora contendere? nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*.

Cum festinatione. Vt scilicet discamus, in via virtutum prompte, cum festinatione & alacriter pergere, inque diuinorum mandatorum adimplerione festinare, Regis illius exemplo, qui ait, *Viam mandatorum tuorum cucurri*, quasi diceret: In mandatorum tuorum Domine executione ita me diligenter gessi, ut summa mentis contentione per mandatorum tuorum viam cucurrerim. Ad hanc quoque nos festinationem hortatur Apostolus in ea quæ est ad Hebræos, *Festinus ingredi in illam requiem*, per mandatorum diuinorum viam curramus, cursum acceleremus, in mora siquidem periculum, & in diligentia omne consistit bonum.

Via virtutum cum festinatione decurrenda. Psal. 118.

Hebr. 4.

Ad eandem celeritatem neminem non inuitat Propheta Isaias hisce verbis, *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate*. Sunt hæc verborum figuræ ac tropi prophetici haud dubie ac sublimes: non enim ad aquas aut argentum bonus ille nos Deus inuitat, verum ad gratiam, virtutes, bona opera resque spirituales excitat; quo ut perueniamus, properemus oportet, & iter acceleremus. Vere autem illa festinabat anima, quæ in Canticis dicebat, *Trahite me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*. Hoc porro modo hodie Beatissima Virgo currit, quæ abiit cum festinatione.

Isai. 55.

Cant. 1.

Vt discamus eadem opera hinc, Auditores, charitatis ac misericordiæ opera animo quam promptissimo & diligentia summa peragenda, eoque cum seruire & affectu, quo ab Abraham Patriarcha exercebantur. Considerate, obsecro, quæ illæ diligentia & festinatione peregrinis & hospites in domum suam coegerit, quanto animi ardore suscepit, & apud se diuersari voluerit: de quo dicitur, *Quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum*, ut ijs recipiendis domum, receptis facultates ac fortunas suas offerret. Hanc nobis Patriarchæ diligentiam exponit origenes eam pluribus circumstantiis describit, *Abrahamus, inquit, currit, & exor festinat, puer accelerat, nullus est pius in domo sapientis*. Deipara ergo mater tam insigne charitatis opus factura, quale reuera est mulierem pregnantem inuifere, eique in puerperio obsequiis adesse, collum

Opera charitatis & misericordiæ cum diligentia exercenda sunt. Gen. 18.

Hom. 40. in Genes.

collium & montium prærupta transilit, & abis eum festinatione.

Hæc vero matris festinatio in cognata Elisabeth adeunda filij quoque in mundo viuitando festinationem in mentem mihi reuocat, iuxta illa Zachariæ verba: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebi suæ.* vt autem, qua in mundum celeritate properarit, manifestum fiat, audiamus loquentem in Canticis sponsam: *Ecco iste venit saliens in montibus, transiliens colles; similis est dilectus meus caprea hinnulorum.* Loquitur autem de sponso suo, Messia nobis aduentum hac imagine ænigmatica representans; qui ad mundum redimendum tanta velocitate descendit, vt montes altissimos transileret, per colles volitaret, & rupes transcurreret, vt qui currentem viderent, capream hinnulumque ceruorum ad cursum celerissima animalia cernere se crederent. Verum dum hanc abeuntis festinationem describendo per uia discurro, æquo diutius primo puncto inhaereo; tempus est ergo receptui canendi, & ad alterum descendendi, effectorum inquam è sancta hac properataque Virginis sanctissimæ visitatione secutorum commemorandorum.

Vt ergo incipiamus, memineritis oportet eorum, quæ olim inter Iacob Patriarcham eiusque socerum Laban in Genesi facta dictaque memorantur. Ait ergo ei Iacob, *Modicum habuisti, antequam Genirem, & nunc diuus effectus es, benedixitque tibi Deus ad inuictum meum.* Vt omnis rerum prosperitas & benedictio domui Labani, quoad temporalia, vni Iacobo accepta referenda est, ita quoque omnis ritum spiritualium (quæ longe sunt digniores) in Zachariæ sacerdotis familia, copia, abundantia, multiplicatio, benedictio & mirabilia à Virginis nostræ in eam ingressu pendent, cum ipsa namque domum subeunte vniuersa pariter benedictio celestis in eam copiose irrupit.

V. Et si vero hæc benedictio longe lateque pateat, & plurimos in se admirabiles effectus è sancta hac visitatione secutos comprehendat, ad tres tamen reduci illi præcipuos, ac velut capita ceterorum possunt. Primus est,

prophetica in S. Elisabetha admiratio, & admirabilis prophetia. Secundus, Ioannis in vtero matris exultatio. Tertius, peccati ac labis originalis ablacio, atque eiusdem sanctificationis tam tempestiue illi collata. circa quæ tria concionis hæc pars postrema velut in cardine ostium versabitur.

Principio ergo prophetica admiratio ex ijs Elisabethæ colligitur verbis, quæ protulit, mox vt Virginem suis in ædibus conspexit, conspectamque vt matrem Dei agnouit: quod, nisi prophetico donata esset spiritu, fieri neutiquam poterat. Ait ergo, *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* quasi vellet dicere, Ipsa illi obuiâ potius deberem procedere, & humillima illi obsequia deferre, quam vt ipsa ad me vltro veniat, meque honore, affectu & beneuolentia præueniat.

Simili est modo filius eius Ioannes Baptista olim admiratus, cum veniente ad illum Redemptore, vt ab eo ad Iordanis fluentem Baptismo tingeretur, præ admiratione ac stupore ait, *Ego à te debeo baptizari, & tu Genis ad me?* perinde ac si dicat; Impar est ac nefas Domine, ita te vilescere, adeoque abicere; hoc ipse sum honore penitus indignus, meum potius est eo te præuenire. Cui Dominus, *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam,* quasi diceret, Magnifica hæc officiosaque verba iam desinant; aut *sine modo*, id est, hoc me nunc facere permitte; sic enim omne iustitiam, id est, perfectam humilitatem adimpleamus necesse est.

Hanc porro admirationem dixi prophetica; quod perfectissime incarnationis mysterium in gloriosissimæ Virginis vtero completum fuisse Elisabetha cognouerit, dum ratio proeam matris Domini nomine afficit: Agnouit hoc spiritu prophetico, & mente introrsum fuit, diuinitus illuminata, aut potius miraculosa ac supernaturali filii in vtero agitatione ac commotione. Vnde velut causam nouæ huius cognitionis reddens, ait: *Ex quo facta est vox salutariis tui in auribus meis, exultauit in gaudio inans in vtero meo.* atque ideo admirans dixit: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?*

ius Virgineæ.

Admiratio prophetica in S. Elisabeth.

Matth. 3.

S. Elisabethæ admiratio prophetica

Iustificatio
à Christo
inchoatur.

Neque enim Elisabeth ad Virginem, nec Ioannes ad Christum visitandum abiit; sed & contra Virgo ad Elisabetham & Iesus ad Ioannem, ad eum iustificandum, ascendit. Vnde discere licet, iustificationem omnem nostram à Iesu Christo venire: neque enim ipsi versus illum tendimus, sed ante ad nos ille venit, semperque præcedit; semper nos ille primus quaerit, & primus vocat, vnde Apostolus: *Quos vocauit, hos & iustificauit*; vocat inquam, si autem vocati vocantis vocem audiant, mox eosdem etiam iustificat. In hanc rem scribit, in Psalmos commentatus, Augustinus: *Vt iustificentur iusti, præcedit vocatio, qua non est meritum, sed gratia.*

Rom. 8.

In Psal. 5.

Psal. 118.

Psal. 57.

Huc spectabat & Psaltes, dum queribundus ait: *Errauit sicut ouis qua perit, quare seruum tuum. nisi enim ouiculam quaerat Pastor, in luporum ipsa rabiem incidat necesse est: ita, si peccatorem quaerat Deus, verendum est, ne diaboli vnguibus præda fiat.* Erat ergo Ioannes in utero matris, velut ouicula, & peccato originali onerata à via deflexerat: (*Omnes enim errauimus ab utero*) Pastor ergo eam quaesiturus exit primus, non vero ouis ad pastorem abiit.

Hanc forsitan ob causam mundi Saluator, cum se honorificis donare titulis posset, quales sunt: Verbum æternum æquale Patri & consubstantiale, cœli terræque natura rex, hominum simul & Angelorum princeps, vniuersalis mundi seruator, aliisque sexcentis honorem præferentibus ac dignitatem; pro ea qua erat humilitate, Pastorem se dixit: *Ego sum pastor bonus.* Vt pastor enim peccatores, qui iam inde à paradiso terrestri per primam originis labem errabant vagabundi, quaesiturus venit. Et, ô rem miram! mox ut in matris conceptus est utero, ad Ioannem hac labe non secus atque ceteri hominum infectum properat, & ad eum quaerendum, vocandum, & materno in utero iustificandum exit. Quam eius benignitatem demirata sancta illa verula, exclamat: *Vnde hoc mihi, ut veniat, &c.*

Ioan. 10.

Visitationis Virgineæ effectum primum esse dixi matris admirationem: secundum statuo extraordinarium infantis semestris gaudium & miraculosam materno in utero exultationem. Certissimum autem est hunc contra naturæ leges motum, totque stupor mirabilibus vni filij Dei in utero Virgineo latentis præsentia ascribendum. Circa quæ tria à Doctoribus notantur, primum, vsum rationis tunc in Ioanne tempus præuenisse & acceleratum fuisse, ac tum cognitionis suæ dominum factum, dominum suum, cuius futurus erat præcursor, adesse præsentem cognouisse. Fuit profecto hoc magnum & singulare quoddam priuilegium.

Tradunt rei herbariarum scriptores, florem quemdam esse, cui nomen, *filius ante patrem*: nec immerito, quod semen ante ac florem quam folia, præter communem herbarum consuetudinem, folia ante florem semenque proferentium, progignat, flori huic per similes fuit Ioannes Baptista: existens enim Elisabethæ in utero velut in horto quodam constitus, semen floremque iudicii, rationis, & cognitionis, ante ætatem contra naturæ ordinem ceteris hominibus communem, emisit. Vtrum autem hoc rationis exercitium semper exinde in puero perseverarit, minime est exploratum; negari tamen non incommode potest. Vti & clara illa Dei visio, qua Deum suo in rapto Paulus, de quo in secunda ad Corinthios sermo est, conspexit, insignis quidem priuilegium ac prærogatiua fuit, sed minime continuum aut durans, sed quod vna cum visione cessauit & euauit.

Secundum, quod huc afferunt Scholastici Doctores, est, verisimiliter ac pie credi posse, Ioannem infantem ratione vtentem, & iudicii maturitate adhibita in utero se matris tum mouisse, & quo poterat modo humillime Christum velut supremum Dominum salutasse, atque salutando vt Messiam & futurum mundi seruatore adorasse. Neque vero id mirum cuiquam videatur: si enim ad Domini faciem terram ipsam moram

Ioannis in
utero exul-
tationem
causata est
Christi
præsentia.

Herba que
floreat &
seminet
ante folia.

2. Cor. 12.
Vnus ratio-
nis in Ioan-
ne non du-
rauit.

S. Ioannes
Christum
adorauit
clausus
et clausum.

motam ac concitatam Prophetæ dixerint, (à facie Domini mota est terra) non adeo infolens ac peregrinum, si ad eiusdem Dei præsentiam matris in vtero infans subsulter & moueatur.

Tertio sanctificatum tunc Joannem Doctores docet, & à peccato originali ablutum, & Spiritus sancti gratia repletum: adeo ut impleta tum promissio ab Angelo filij conceptionem nuntiante Zachariæ patri facta fuerit: *Replebitur Spiritu sancto adhuc ex utero matris sue*. In huius rei signum hodie ad Dei sui præsentiam matris vtero exultat prægaudio.

O prodigiosum & admirabilem puerum! cuius mirabilia & præconia ab omni sunt parte ac lingua terrena ac cœlesti diffusa. A Prophetis quidem: Isaias namque eum vocem dicit clamantis in deserto; Malachias Angeli ei nomen imponit, *Ecce ego, ait, Dominus, mitto Angelum meum*, & *parabit viam ante faciem meam*. Post Prophetas, etiam Angeli laudes eius decantant. Archangelus enim Gabriel parentibus illius magnum eum coram Domino fore, & Spiritu sancto iam inde ab vtero materno replendum spondit: *Hic erit magnus coram Domino*, & *Spiritu sancto replebitur*. Deinde post spiritus cœlestes, Zacharias eius pater, & magnus Synagogæ Pontifex, à Spiritu sancto inspiratus, Prophetam eum Altissimi ac Messie præcursores indiget, hac eum apostrophe compellens: *Et tu puer Prophetæ Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius*. Post summum illum sacerdotem omnes Euangelistæ, & Joannes imprimis ait fuisse hominem missum à Deo venientem, & testimonium perhiberet de lumine veritatis. Denique ut Euangelistas, homines, Angelos & Prophetas tacitam, ipse Dei vnigenitus tantopere eum deprecavit, ut nullum eum unquam maiorem natum, aut digniorem dicat apparuisse, *non natos*, inquit, *mulierum non surrexit maior Joanne Baptista*. Quid ergo mirum, pueri huius mirabilia iam inde ab vtero initium sumere?

Exultavit infans prægaudio. O insigne prodigium! Psalmographus Psalmo 113. magna admiratione rogat, *Quid est tibi mare, quod*

fugisti, & in Iordanis, quia conuersus es retrorsum: montes exultasti sicut arietes, & colles sicut agnorum: mox vero respondet, *A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob*. Eodem etiam modo interrogemus licet, pari quoque cum stupore: *Quid est tibi peccatum, quod fugisti? Et in Satan, quia conuersus es retrorsum: infans exultavit in utero*, &c. Hæc quidem petere, deinde pari etiam modo respondere, *A facie Christi factum est illud*. ipsa filij Dei præsentia hæc causatur mirabilia, atque imprimis hæc pueri in materno ventre exultationem ac subsultationem. Testatur hoc mater ipsa Deiparam his verbis alloquens: *Ut salua est vox salutationis tue in auribus meis, exultavit prægaudio infans*.

In Genesi quidem gemelli Rebecca in vtero collisi commotique leguntur: ac motus hic matri grauis ac molestus fuit, adeoque intolerabilis, ut concepisse se putans queritabunda diceret, *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* ac si diceret, si sciuisset tantos mihi in gestatione vteri cruciatus subeundos, numquam impragnari optasset. Non vero huiusmodi fuit Joannis Baptistæ motus, sed lenis, gratus, ac matri iucundissimus. Rebecca gemini in vtero depugnando mouebantur, at Elisabethæ proles exultando; eratq; subsultatio hæc à gaudio nascens, unde dicitur, *Exultavit prægaudio infans*.

Illustre sane atque inauditum prodigium. Joannis intellectum & ingenium Joannis viuacitellestus & visus subtilitate lynces superalyncem visse tunc sic verosimile, quas ferunt muros & ses subtili parietes visus acie pertransire; cum per durate superplicem parietem, maternum scilicet ac Virginitatis vterum, Dominum suum agnoscere potuit, de quo hoc modo in Canticis sermo est, *En ipse stat post parietem*. Reuera enim Christus post vteris virginalis parietem latitabat, in quo velut paruulus coarctatus concludabatur. Atque ad parietem hunc, Ezechie exemplo, se suis in afflictionibus peccator cum lacrymis conuertat oportet, ad veniam impetrandam & misericordiam postulandam: *Conuersus ad parietem fleuit amare*.

Eccle. 30.

Ecclesiastici cap. L. mentio fit stellæ maturinæ in nebula conclusæ. Sidus hoc emblemata quoddam obscurum inuoluit: at, qui eius expositionem adferre conati sunt, per ipsum Zachariæ filium Joannem dixerunt denotari; quippe, qui vera stella, & fax ædeas & rutilans fuerit, *Erat Lucerna ardens & lucens.* verum stella maturina, solis exortum præueniens & prænuntiāns, Messia inquam aduentum, cuius propterea est prodromus appellatus. Hæc porro stella idcirco in medio nebulae est, quod adhuc materno continetur vtero, in quo gaudij, lætitiæ ac plausus festini signa exhibet: *Exultauit infans in praegaudio.*

S. Joannes dictus stella maturina.

S. Joannes vltimū rationis habuit in vtero matris.

Num vero exultationem & subsultationem hanc lætam vsus rationis, & iudicij exercitium comitatum sit, ambiguum est, & in controuersia positum, variæque hæc de re SS. Patrum ac Doctorum sunt sententiæ, æque discrepantes. Etsi enim, ex plurium Doctorum Scholasticorum opinione, infantem hunc, ratione ætatem præueniente, non sine singulari miraculo, viri instar iudicio vsum dixerim; negare tamen non possum, rem ita liquidam ac constitutam non esse, quin plurimos eosque grauissimos patiatur aduersarios. Reuocat quippe eam in dubium S. Augustinus; negat aperte Iansenius, vti & Angelicus Doctor, S. Thomas. S. Ambrosius vero alteram partem sustinet, docetque fauorem hunc & gratiam singlari quadam prærogatiua priuilegioque materno in ventre ei esse concessam. Eidem accedunt Theophylactus, Venerabilis Beda, Euthymius, Leo: Magnus, Hieronymus, Petrus Chrysologus, Chrysostomus, alique permulti. Atque hæc quoad deo primaria visitationis huius capita dicta sufficiant: restat ergo iam tertium prosequi, ipsam inquam peccati originalis ablationem.

Cap. 6.

S. Joannes Baptista, etsi Messia præcursor futurus, & vltimū alibi natorum puerorum esset maximus, ceterorum tamen ad instar in originali labe conceptus erat, letifera vt alij omnes in protoplasti morte plaga accepta, ac proinde vt reliqua Adæ posteritas, morti ac damnationi obnoxius, iuxta illam Apostoli sententiam, *in quo omnes peccauerunt, &*

mortui sunt. Sicut omnes totius vniuersi mortui, alij simul & humiles impetuosis diluuij aquis adobrutum sunt & cooperti: ita & omnes vniuersim creaturæ, maximæ licet ac sanctissimæ, vehementi & horrendo originalis culpæ diluuiio submersæ sunt, & S. Joannes non secus atque alij. Verum vt os Deipara soluit, & spectandum se Christus dedit, delera hæc macula est, culpa omnis remissa, sanctificatio facta, & gratia simul infusa.

David Iyram pulsans à Saule malignum effugauit genium, à quo non mediocriter torquebatur, vti in Regū libris refertur. Eodem quoque modo David noster Christus, vt cognatam suam Elisabeth alloquitur pia mater, cuius verba & sermones omnem harmonicū concentum superabant, à Zachariæ filij anima peccatum originarium pepulit.

Eodem in libro scribuntur Philistæi, barbari & idolis addicti, arcam Dei bello captam in fano Dagon collocasse; verum vt primum illa delubri limen attigit, idolum ad terram delapsū est in frustra comminutum. Et tulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon, & ecce Dagon iacebat pronus ante arcam Dei, & c. O insignem comparationem! arca Dei vix fanum Philisthæum subiit, & ecce simulacrum humi prostratum est; & gloriosa Virgo, vera Domini arca, quæque ipsum geſtabat Dominum, vt Elisabethæ domum ingressa est, peccatum originale quo Joannes erat infectus, velut secundus Dagon comminutum, contractum, & pessum datum est.

Apud Lucam eum Redemptor in domum Principis Publicanorum, cui nomen Zachæus, intrasset, his enim est verbis allocutus, *Hodie salus huic domui facta est, quod & ipse sit filius Abrahæ.* Cogitemus id ipsum & factum & dictum esse, eodem Deo Principis Sacerdotum Zachariæ domum ingrediente. Et sane Jelu Christo, vtero dum virgineo concluditur, hodie illustrem hanc domum intrante, salus illi facta est; cum puer ipse ab originali sit peccato mundatus, venia eiusdem data gratia collata, & misericordia passim in eadem eixit, eo quod vere de filio

Epist. 57. ad Dardanum. 3. p. q. 23. art. 6. in Lucam. homel. de visitat. Ser. o. de nativitat. Epistola ad Latam. in encomio Ioan.

1. Reg. 16.

Insignis Allegoria.

Luc. 19.

Allegoria.

rum Abraham esset numero, & Messia precursor.

Psalm. 73. Hæc Psalmi 73. verba perobscura & intricata leguntur, *Posuerunt signa, & signa sicut in exitu super summum.* id est, iuxta Theodoretum expositionem, inimici nimium quantum elati sunt, & ianuis nostris sua affixerunt trophæa, quæ signa sunt & argumenta victoriarum. Alter vero interpretatur Hieronymus, dicens: *Posuerunt signa sua in trophæum manifestum in introitu de super,* ut ab omnibus passim conspiciantur. Vterque vero sensus innuit, Dei inimicos signa ac vexilla sua in ostiorum supremis ad introitum collocasse. Ut hoc morali sensui adaptemus, sciamus oportet, portas & ianuas, per quas vitam hanc ingredimur, hominum esse conceptionem, & in his velut in primo in hunc mundum introitu, hostem nostrum, id est, diabolum, peccati originalis signa velut illustre victoriarum relatarum trophæum erigere. Hoc ipsum vexillum hostile etiam in introitu & conceptione magni Joannis Baptistæ exierat, Regum Rex Christus hanc insolentiam non ferens, locum illico inuasit, hostem fugauit, signa sustulit, id est, peccatum originale aboluit, eiusque animam recuperauit. Nec modo peccatum eiecit, verum etiam Spiritu sancto repleuit, gaudique & lætitiæ occasionem illi iam tum dedit, expectans donec, vniuerso aliquando orbi lætitiā pareret: *Et exultauit præ gaudio infans in utero meo.*

Reg. 6. Jucundum piumque reuera fuit spectaculum, videre Dauidem Regem magno animi studio coram arca Domini tripudiantem, signaque insolite lætitiæ præferentem, & præmentis iubilo gestientem. At spectaculum, mihi credite, longe iucundius ac mirabilius videre hodie, non videretamen, infantem maternis clausum visceribus, præ gaudio subliantem, & coram vera Dei arca, Deipara nimirum, Deum ipsum complectente, insolito animi iubilo plaudentem. Ipsum Dauidis tripudium nihil continebat admirabile, sed infantis huius exultatio purum ac merum erat miraculum. Atque in hoc finem faciam.

Vidistis igitur, Auditores, festi huius cau-

sam: vidistis quid ipsa Virginis huius visitatio designet: audistis effectus, mirabilia, & benedictiones, quæ ad eius ingressum in Zachariæ domum inuolatunt. Ipsam ergo magna animi contentione oremus, nobis ut eundem fauorem ostendere, atque harum gratiarum aliquam in nos effundere dignetur, fixo eam obtutu intueamur hodie surgentem, atque instar auroræ progredientem, pulchram ut Luna, electam ut Sol, & ad illam confugiamus, opemque speremus ab illa, quæ terribilis ut castrorum acies ordinata in libris sacris legitur: *Progreditur quasi aurora cor.* *Cantic. 6.*
surgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.

Misce laudabilibus illustribusque titulis peramoti & inuitati te inuocamus sanctissima, sacratissima, ac gloriosissima Virgo. Tu namque vere pulchra es ut Luna, quæ nocte lucet iis, qui in peccatorum caligine ac tenebris versantes ad lucem magna animi conatione anhelant. Aurora vero iis, qui criminum tenebris egressi, ad poenitentiam diem transferunt. Denique Soliis, qui postquam ad lucem peruenerunt, in gratiæ splendore ac claritate iam viuunt. Vt vero aduersus hostiles incurfus ac violentiam auxiliatrices afferte manus queas, terribilis atque horribilis es, ut castrorum acies ordinata. Hinc, o beatissima Virgo, qui modo in peccatorum nocte degunt, te ut Lunam suam intuentur: quibus dici gratiæ aurora iam illuxit, te ut Auroram respiciunt: qui caritatis ardoribus flagrant, te in solem suum eligunt, ad te omnes confugiunt, & à te velut à castrorum acie ordinata auxilia expectant. Vt hoc in mundo sub protectionis tuæ insignibus certantes, in altero, in quo omnis nostra beatitudo sita est, mercedem adipisci mereamur, ad quam nos Pater, & Filius, ac gloriosus Spiritus sanctus deducant.

Amen.

INN.